



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum LXXIX. Æneas speculum pietatis in superos, patriam, parentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM LXXIX.

Æneas Speculum Pietatis in Superos, Patriam, parentes.

*Æneid.*

Ethicè.

1. Pietas in parentes. 2. Pietas in superos. 3. Imitatores Æneæ in pietate. 4. Quid parentibus debeamus. 5. Amor conjugalis.

Cum Troja à Græcis capta & direpta undique flammis arderet, Æneas monitu Veneris, scilicet parentis, jubetur extremo se cum suis discrimini subducere. Durum imperium viro, gloriosam inter occumbentis patriæ ruinas, mortem, non imbellem fugam spectanti. Vicit tamen pietas; Æneas *Anchisæ* genitoris senio confecti, salutem magis in consilio habuit, quàm suam. Hunc solum exportare, erat omnia exportasse. Initio præfractè recusare senex; denique partim prodigiis, flammæ comam sine noxa in puero *Ascanio* lambentis, partim importunis filii precibus victus, sustinuit in humeros Æneæ tolli, & comitante *Ascanio* nepote, filiiquæ uxore *Creusa*, in locum tutiorem deferri. Mirum sanè spectaculum! in illa urbis miserandæ conflagratione: inter confusos oppidanorum ac hostium clamores, tubarum armorumque sonitus, domorum procumbentium fragores: in promiscua virorum, feminarum, puerorum cade, Æneas, cum amplius virtuti locus in armis non esset, exemplum tamen virtutis edidit, sæculis omnibus memorandum. Effert è patria, ferro flammæque vastata, quod unicum eripi non potuit, animum pietate plenissimum. Gestat humeris parentem filius, parens in manibus Penates patrios; & sic per ignes, per enses incolumis uterque cum parvulo *Ascanio* evadit. Ponè sequebatur *Creusa*: quam dum, nescio, quo strepitu armatorum contrà venientium, territus Æneas de via desleclit, amisit; neque enim sinebat animum reflectere sollicitudo oneris & parvi comitis. Ubi verò extra periculum constitutus, advertit desiderari conjugem, dolore penè insanicens, remittitur viam, & inter noctis ac hostium horrorem, quaquaversum circumfert aures ac oculos, si qua vestigia uxoris deprehendat. Denique quærenti, & ne quicquam *Creusam* suam ingeminanti, offert se illius ima-



go, humanâ major, jubetque curas ponere, nec sibi invidere felicitatem, jam cum Cybele, Deorum matre, in cœlestium locis versanti: non sine numine Divûm hæc fieri, quippe qui longum ejus exilium & navigationem essent rebus secundis excepturi, eique pro amissa Coniuge, *Laviniam*, sponsam regiam, & cum ea Italiam, terram beatam, daturi. Quibus dictis evanuit, & *Æneæ* brachia in amplexus parantis, elusit.

## Ethica.

I. (a) Hæc est illa pietas *Æneæ*, nunquam satis celebrata veteribus, qua ille patrem humeris suis ex incendio eripuit. Intuere spectaculum hoc. *Æneas* Princeps civitatis, fugit incensâ Trojâ; cum eo rota domus, ac famuli; atqui nemini vult paternum pondus commendare, ipse caput inclinat suscipiendo oneri. Aspice heroëm leonis spolio indutum, cui in humeris pater sedet, cui parvus filius hæret in manu, quem à tergo conjux sequitur: inter hæc cerne, *Sacra* & *Penates* deos in manu senis; omnia unctis servat, *Sacra* manu Patris: *Patrem* humeris: *natum* dextrâ: *conjugem* vestigiis. Quæ plura unus potuit? Addiderunt superi novo spectaculo complementum. Nam ecce, subito flammæ pietatem novam in Deos, atque in Patrem, *natum*, *conjugem* admiratâ, recedere cœperunt, ac veritâ sunt ne virum pium contingerent, aut laderent. Ipse de se *Æneas*:

ducente Deo, flammam inter & hostes  
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.

Tanta vis est pietatis, tanta potentia virtutis. Quot laudatores habuit præclarissimum hoc facinus? Stat. 3. Silvar.

Felix, cui magna patrem cervice vehenti  
Sacra, Mycenæ patuit reverentia flammæ.

Ovid. lib. 4. Fast.

An magis hunc morem pietas *Æneia* fecit,  
Innocuum victo cum dedit ignis iter.

Propert. lib. 4. eleg. 1.

Cum pater in nati tremulus cervice pependit,  
Et verita est humeros urere flamma pios.

Horat. in carm. sæc.

Cui per ardentem sine fraude Trojam  
Custus *Æneas* patriæ superstes  
Liberum munivit iter.

(a) *Pietas in parentas.*

Graviter



Graviter Seneca. Lib. 3. de benefic. c. 37. Vicit Æneas patrem, ipse eius in infantia leve, tutumque gestamen, gravem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se urbis minas ferens, cum complexus Sacra, ac Penates deos religiosus senex, non simplici vadentem sarcina premeret: tulit illum per ignes. Et quid non pietas potest? pertulit, colendumque inter conditores Romani imperii posuit. Hoc facinus etiam Græci carminibus nobilitarunt. Inter alia extat epigramma ita Latinè versum:

Cùm ferret medios proles Cytherea per hostes

Impositi collo languida membra patris:

Pareite, ait, Danaï: levis est sene gloria raptō;

At non erepto gloria patre levis.

Celebrat hoc factum Sanazarius lib. 1. in gemmam suam, in qua insculptus Æneas, patrem vehens. Celebrarunt Augusti suis gemmis. Inveniuntur enim nummi Antonini Pii, cum signo Æneæ patrem humeris gestantis, quem ille cudi iussit, ut in focerum pietatem suam ostentaret, quem languidum, humeris sublatum, in senatum, vel quod opus fuisset, pii Æneæ instar, ferebat. Æneas parenti succollans Symbolum est pietatis, quæ parentibus debetur: adscribe lemma ex Marone:

*Nec me labor iste gravabit.*

II. (b) Dubium reliquit Æneas, spectabiliórne esset eius in parentem pietas, an in deos. Nam quæ pompa unquam fuit nobilior, quis gloriosior triumphus, quàm spectare virum fortissimum per medios hostes & ignes, patriæque ruinas, incedentem, oblitum sui, memorem oneris, officii, pietatis, Penatum, seu Divorum Tutelarium, quibus primas curas debebat; deinde genitoris, cui secundas: postea Ascanii filii, cui tertias: denique uxoris, quam chariorem omnibus cimeliis habebat. Sic oneratus, sic stipatus spectaculum præbuit seculis omnibus non magis admirandum quàm imitandum.

III. (c) Et verò non defuere posteris ætatibus æmulæ pietatis exempla. Amphinomus & Anapius fratres siculi, Catanâ oriundi, cum Ætnæ montis incendio urbs, & omnis prope Sicilia deflagraret, parentes humeris superimpositos periculo subduxerunt, medios ipsi inter ignium vomitus illæsi, recedentibus, aut subsidentibus flammis, quæ ibant. Val. Lib. 5. Solinus, alii. De quibus Claudianus

Aspice sudantes venerando pondere fratres,

Divino meritos semper honore coli.

(b) Pietas in Superos. (c) Imitatores Æneæ.

Iusta



Iusta quibus rapida cessit reverentia flammæ,  
Et mirata vagas reppulit Ætna faces. &c.

De iisdem Seneca post historiam Æneæ, loco adducto: Desedisse creditum est ignes, utrinque flamma accedente limitem ad apertum, per quem transcurrerent juvenes, dignissimi, qui magna tutò auderent. Solinus addit, locum, ubi illi conditi, dictum *Campum Piorum*: angusto namque tumulo tanta non poterat condi virtus. Non minor fuit in hoc argumento feminarum gloria. Ex Valerio lib. 5. c. 4. & Plinio l. 7. c. 36. constat matrem inediã in carcere consumendam, à filia lactantis ubere conservatam, locumque *Pietati* consecratum, templò ibi exstructò. Alia patrem consimili fortuna, custodia traditum, jam ultima senectute, velut infantem pectori suo admotum aluit, referente Valerio, & pictam eius facti imaginem spectantibus admirationi ac stupori fuisse memorante. Recentius est, quod Jovianus Pontæus lib. 2. de obedient. narrat, Puellam in Gallia fuisse, quæ parentem ab Hugonotis latè grassantibus, perfidiosè interemptum quæsitura, sola in arcem ascenderit, perque hostium cuneos animo imperterrito penetrans, cadaverum acervos scrutata sit; tandèmq; inventum, & multis vulneribus concisum, sed palpitantem adhuc, & extremum propè spiritum ducentem, in humeros sustulerit, mirantibusque summopere hostibus, quanquam rabie efferatissimis, domum deportarit, diligentissimæque, & amantissima cura ac curatione, vitæ, salutique restituerit.

IV. (d) Quæ parentibus sint rependenda, Socrates apud Platonem de legibus exponit: Ita enim singuli apud se statuere debent, omnia quæ penes se habent, eorum planè esse, à quibus & geniti sint ipsi, & in hanc lucem educti, & à quibus educati; ac proinde arctissimo debito teneri, ut ad omnia obsequia illis pro viribus exhibenda, ut pro antiquis illis parentum suorum curis, & doloribus, quos ipsi juvenibus mutuò impenderint, iisdem parentibus suis in senectute reddant, atque restituant, tum videlicet, cum illis maximè indigent. D. Ambrosius filium quendam matri inofficiosum ita alloquitur. Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit: non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi quem noluit

(d) Quid parentibus debeamus.



noluit, cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit. In cap. 18. Lucæ ad illud: Honora patrem tuum & matrem. Pietatis in parentes præclarum Symbolum est ciconia; nam reliqua animantia tantisper amant, agnoscuntque parentes, dum egent illorum ad nutritionem operâ; ciconia parentes senectâ defectos vicissim alit, & volandi impotentes humeris gestat ac defendit. Unde ἀντιπελαγεῖν apud Græcos, est mutuam officii vicem rependere, maximè nutriendi, fovendique eos, à quibus aliquando fueris enutritus, aut institutus. A ciconiæ natura sumptum, quæ Græcè πέλαιος dicitur. Laborant infamia impietatis viperæ, quæ perfracta matris alvo nascuntur: item scorpiones & aranei qui post incubatûs officium, à suis foetibus interimuntur. Quæ feritas utinam etiam ad homines ne transfret. De Nerone parricida acutè Aufonius:

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?

Sustulit hic matrem: sustulit ille patrem.

Amœnum est, quod de pietate filiali Diodorus Siculus narrat lib. 20. Tres fuere cuidam Cimæriorum Regum, filii: regnum paternum quisque affectabat. Ariopharnes Thracum Rex eligitur iudex. Hic erutum patris eorum cadaver è sepulchro, arbori alligat, arcui sortem committit. Regni successor destinatur, qui cor patris sagittâ tetigisset. Primogenitus guttur, alter medium pectus corde illasô, transfixit. Supererat minimo spes regni; vicit pietas; & se regno cedere malle, dum in patris cadaver pietate superior esset, professus, jaculari detrectavit. Huic ergo regnum est adjudicatum, quod se pariter & verè filium, & virtute superiorem demonstrasset. De ciconiarum pietate in parentes vide Alciati Emblema XXX.

V. (e) Virgilius etiam in Æneâ prædicat amorem, affectumque conjugalem. Æneas de se:

Ipse urbem repeto, & cingor fulgentibus armis.

Stat casus renovare omnes, omnemque reverti

Per Trojam, & rursus caput objectare periclis.

Imò uxorem non tam quærebat, quàm studiò invenîendi furebat, ita ut in summo discrimine non dubitaret eius nomen inclamare.

Ausus quin etiam voces jactare per umbram,

Implevi clamore vias: mœstusque Creusam

Nequicquam ingeminans, iterumque iterumque vocavi.

Quærenti & tectis urbis sine fine furenti

Infelix simulachrum; atque ipsius umbra Creusa

Visa mihi ante oculos &c.

(e) Amor Coniugalis.

Me-



Memorable est, quod paulò supra adductus Jovianus Pontanus testatur, sua ætate accidisse. Agricola Lentiscolensis, in regno Neapolitano, agrum colebat, juxta mare; à quo uxorem aliquantum loci spatio disjunctam, Tunetani piratæ, seu mauri, in littus prædatum egressi, ceperant. Maritus ubi vidit uxorem non apparere, neque longè piraticam trirremem in anchoris stare conspexit; arbitratus id, quod erat, in ea uxorem esse; illicò in mare defiliit, atque ad trirremem adnatavit. Receptus, gubernatori dixit; causam sibi per fluctus veniendi fuisse, quòd sequi uxorem, & cum ea servitutem potius pati, quàm domi regnare constituisset. Qua re à Mauris non sine ingenti admiratione audità, cum, quod factum erat postea Tunetensi regi narrassent, is tanta hominis fide, atque charitate motus, & virum & uxorem liberos esse jussit, atque inter regie custodiæ milites hominem adoptavit. Fulgos. lib. 4. c. 6.

Hos labores & discrimina meretur uxor virtute præstans. Monet Siracides: *noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore Domini.* Ecclesiast. c. 7. Contra aurum ac gemmas æstimanda est conjux prudentiæ, probitatis, pietatis laude commendabilis. Idem c. 40. *Amicus & Sodalis in tempore convenientes* (subaudi grati sunt & mutuo se delectant) & *super utrosque mulier cum viro.* Cujus ipsa dimidium est, & una quasi anima, pro qua conservanda nullis sumptibus parendum, nulla pericula reformidanda. Sed ò quàm pauci sunt *Æneæ*, pro uxoribus suis, per tela, per ignes sese inferentes; quàm multi potius per ferrum & flammam fugere cupiant, ne in amissam *Creusam* suam incidant; imò, quam ne videant, ultimam Thulen expulsam velint, tunc præsertim, cum locum habet illud Satyrici:

Si verum excutias, facies, non uxor amatur;  
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,  
Fiant obscuri dentes, oculique minores;  
Collige sarcinulas, dicet libertus & exi,  
Jam gravis es nobis. Juven. Sat. 6.



O O O

SYM-